

Cappellis publicis, requiratur aliqualis distantia inter unam et aliam Stationem? » Secundo « *An in hujusmodi erectionibus quae sunt extra ambitum Conventuum FFr. Ordinis S. Francisci tam de Observantia, quam Reformatorum et Recollectorum requiratur licentia Ordinariorum, nec non Parochorum, aliorumque respective Superiorum consensus in scriptis?* » Quibus eadem Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 28 Augusti 1752 decernendum esse censuit ad Primum « Affirmative »; et ad Secundum « Affirmative, et transmittantur decreta ».

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCVII.

ANGELOPOLITANA

Cum in Parochiali Ecclesia, Loci De Huamantta Angelopolitanae Dioecesis magnam habeat venerationem quaedam miraculis clara Imago Jesu Christi Redemptoris Nostri Domini *del Desposo* nuncupat. et in ejus Cappella, ejusque in honorem et cultum centum ab hinc circiter annis auctoritate Ordinarii instituta sit pia utriusque sexus Christifidelium Confraternitas; nunc vero Presbyteri Joseph Nicolaus et Ignatius Xaverius Cavallero germani Fratres dictae Cappellae reparatores et egregii benefactores coeterique ejusdem Confraternitatis Confratres et Consortores dubitantes de ipsius subsistentia et canonica erectione ad effectum gaudendi Indulgentiis, tam obtentis, quam obtinendis, eo quia ab Apostolica Sede non fuerit confirmata, supplicarunt humillime pro benigna declaratione: Primo « *An dici possit canonica dictae Confraternitatis erectio, solius Ordinarii auctoritate facta?* » Secundo « *An reportari debeat Apostolica confirmatio?* ». Quibus Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 28 Augusti 1752 rescribendum esse censuit: Ad Primum « Affirmative » Ad Secundum « Non indigere ».

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCVIII.

ALBIGANEN.

Agitata non semel inter Doctores controversia super clausula « *dummodo tot Missae quotidie in tali Ecclesia celebrentur* » quae in Brevibus Altarium privilegiorum apponi solet, tandem haec tria in Sac. Congregatione Concilii discussa fuerunt dubia: Primo « *An absentibus Religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione festivitatum vel funerum, aut similium a superioribus ad celebrandum alibi mittuntur, Indulgentiae concessae cum certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent; vel pro tempore quo dictus numerus non fuerit adimpletus, sint suspensae vel potius maneant in suo robore?* » Secundo « *An idem sit statuendum deficiente praefixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Saecularium?* » Tertio « *An pariter idem sit statuendum deficiente praedicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Saecularibus Canoniorum, et Sacerdotum per aliquot dies et menses?* ». Quibus eadem Sac. Congregatio sub die 30 Julii 1706 rescripsit, « Ad Primum « Quoad Primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimae remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat » Ad Secundum « Non remanere suspensas, » Ad Tertium « Provisum in primo » Has Resolutiones servari pluries decrevit Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. Verum impetrato nuper ab Ecclesia Parochiali Loci Lucinaschi Dioecesis Albiganen. Altaris privilegio pro duabus cujuslibet haebdomadae feriis sub conditione quotidianae octo Missarum celebrationis, haec cum diebus festis minime adimpleatur eo quod aliquis ex Sacerdotibus dictae Ecclesiae in alia celebrare teneatur, orta est inter nonnullos dubitatio, an ob deficientiam alicujus ex praescriptis octo Missis Privilegium obtentum suffragetur? Quapropter proposito in Sac. Congregatione Indulgentiarum, et Sac. Reliquiarum hujusmodi dubio, scilicet, « *An attentae clausula praefata* » Dummodo etc. « *in dicta Ecclesia Privile-*

gium Altaris obtentum non obstante praescripti Missarum numeri in diebus festis deficientia, subsistat in casu? etc. Eadem Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 decernendum esse censuit « Privilegium remanere suspensum diebus quibus praescriptus Missarum numerus non verificatur. » De quibus facta per me infrascriptum praefatae Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCIX.

Cum olim nonnulla Indulgentiarum Brevia a Cancellaria Apostolica expedirentur, sub sequenti expressione « *Pro tali die cujuslibet anni futuri* » et attenta praedictae Cancellariae Regula 57 seu verius 56 a S. M. Innocentio VIII edita, a nonnullis in dubium fuerit revocatum: an hujusmodi concessionem reducendae sint ad viginti annos vel in perpetuum durent; immo an sub eadem restrictione comprehendantur etiam expeditae, sub hac forma « *in perpetuum* » ideo ad veritatem in hac re delucidandam, et ad quamcumque removendam controversiam, examinanda in Sac. Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum Congregatione proposita fuerunt haec dubia: Primo « *An Indulgentia concessa pro tali die cujuslibet anni futuri restringenda sit ad Viginti annos?* » Secundo « *An sub eadem restrictione comprehendantur quoque Indulgentiae, quae dantur sub hac forma in perpetuum?* » Et Eadem Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 respondit ad utrumque « *Negative* ».

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secr.

CCX.

CONFRATERNITATUM SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE SACRAMENTI

Ad recolendam Institutionis Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti memoriam, nec non ad illius veritatem confirmandam, repa-

randasque injurias Eidem allatas. San. Me. Urbanus IV Festum Corporis Christi celebrandum decrevit, voluitque praefatis de causis ut solemnibus indictis supplicationibus potiori, qua potest, pompa Sacra Hostia circumferretur. Quinimmo Apostolica Sedes, ut Christifideles ad majorem erga tantum Sacramentum devotionem excitarentur, atque ad illum comitandum magis magisque allicerentur, spirituales favores elargita est, et signanter Archiconfraternitati ejusdem Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Mariae super Minervam Urbis erectae inter coeteras Indulgentias, Plenariam pro Sodalibus supplicationem, quae ab eadem Ecclesia Feria sexta post Solemnitatem Corporis Christi immediate quotannis habetur, comitantibus concessit. Verum cum extra Urbem plura hujusmodi Sodalitia Sanctissimi Sacramenti reperiantur, quae si canonice erecta jam sint, vel deinceps erigantur vigore Decreti a Sac. Congregatione Indulgentiarum et Sac. Reliquiarum sub die 23 Aprilis 1636 editi, ac per Apostolicum etiam Breve a Ven. Mem. Innocentio XI die prima Octobris 1678 confirmati, omnibus et singulis Indulgentiis praedictae Archiconfraternitati quoquo modo jam concessis et in posterum concedendis, sine ulla speciali aggregatione pariformiter gaudere, et haec ipsa Sodalitia suas solemnes Supplicationes sive in ipso festo Corporis Christi, sive Dominica immediate sequenti, sive alia commodiori Octavae die respective habeant, ab nonnullis in dubium revocatur, utrum ipsam Indulgentiam Plenariam pro Supplicatione, quae ab antedicta Archiconfraternitate feria sexta fieri solet, concessam, Sodales ejusmodi Confraternitatum, extra Urbem existentium consequi valeant in sola praefata feria sexta, an etiam quacumque die, sive festi, vel octavae, sive infra octavam Sanctissimi Corporis Christi Supplicationem faciant; Ideo ad rem omnem dilucidandam in Eadem Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis proposita discussum fuit dubium « *An pro consequenda Indulgentia Plenaria concessa pro Supplicatione, quae habetur feria sexta post festum Corporis Christi in Ecclesia S. Mariae super Minervam Urbis, necessario ab aliis Ecclesiis peragi debeat eadem*

die; vel sufficiat illam habere in alia quacumque ejusdem octavae die? » Et Eadem Sac. Congregatio die 22 Januarii 1753 rescribendum esse censuit « Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam, sed supplicandum esse Sanctissimo pro extensione praedictae Indulgentiae Plenariae ad quamlibet sive festi, sive infra octavam, sive Octavae die, in qua quaevis Confraternitas suam peragit Supplicationem seu Processionem ». De quibus facta per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium die 23 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum ejusdem Sac. Congregationis approbando, praefatae extensioni benigne annuit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCXI.

MONIALIUM TOTIUS ORDINIS B. M. V. DE MERCEDE
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Ad humillimas preces P. Magistri Dominici Josephi ab Astigaribbia moderni FFr. Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum nuncupat. Vicarii et Procuratoris Generalis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV volens omnes et singulas Ecclesias Monasteriales Monialium ejusdem Ordinis et sub cura et jurisdictione Superiorum Ordinis ejusdem existentium, sive erectas, sive in posterum erigendas in quibus Altare a Sa. Me. Benedicto XIII sub die 24 Januarii 1725 pro una cujuslibet hebdomadae dumtaxat feria privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Litteras auctoritate Apostolica revocaverit, et in eis situm Altare a respectivo Locorum Ordinario semel designandum hoc speciali dono illustrare, et quodcumque Sacerdos aliquis Saecularis vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis Missam pro Anima ipsarum Monialium, earumque consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu inclusive, ac Puellarum in iisdem Monasteriis educandarum, aliarumque inibi serventium et pro tempore degentium, nec non Monasteriorum praefatorum Benefactorum, quae

Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare praefatum celebrabit. Anima ipsa de Thesuro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 28 Martii 1753.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCXII.

URBIS ET ORBIS

1.^m *An Facultate, quae ex Indulto Sedis Apostolicae nonnullis Ordinibus Regularibus competit dandi Pontificiam Benedictionem statutis anni diebus, Regulares uti dumtaxat possint in Ecclesiis suorum Conventuum; vel potius sit eis potestas illam impertiendi in Ecclesiis Monialium, tam Ordini quam Ordinario Locorum subiectis?*

2.^m *An Eadem facultate uti etiam possint in aliis quibuscumque Ecclesiis in quibus Confraternitas dictorum Ordinum sunt erectae?*

Sac. Congregatio sub die 4 Februarii 1754 respondit.

Ad primum « Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam.

Ad secundum « Provisum in primum.

CCXIII.

COMEN.

1.^m *An Confraternitas Suffragii Oppidi Telii Dioecesis Comensis dispensari quaeat a gestatione Vestis et Tesserae Archiconfraternitatis Suffragii Urbis, ita ut absque illis gaudere possit Indulgentiis coeterisque privilegiis per aggregationem sibi communicatis in casu etc.? » Et quatenus negative.*

2.^m *An remittendae sint preces ad Sac. Congregationem Concilii?*

Sacra Congregatio sub die 4 Februarii 1754, respondit.

Ad 1.^m « Negative ».

Ad 2.^m « Provisum in primo ».

CCXIV.

Cum in nonnullis Brevibus ac Indulgentiarum Decretis, praesertim Triduorum pro Sanctis et Officiorum Generalium pro Defunctis praetermittantur verba « *A primis vespere usque ad occasum solis etc., et devote visitaverint etc.* » quae passim in Apostolicis Brevibus inseri solent, orta est dubitatio, a quonam tempore Indulgentiae sine praefata clausula expeditae, initium sumant? Quapropter hujusmodi dubio in Sac. Congregatione Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita discussa die 2 Julii 1754, Eadem Sac. Congregatio declaravit. « *Tempus antedictarum Concessionum ab initio diei naturalis, videlicet ab ortu solis incipere* ». Et facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 3 ejusdem Mensis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCXV.

Ut Ecclesiam B. M. Virginis de Cella nuncupat. in Siria peculiari praerogativa decoraret Sa. Me. Benedictus XIII Plenariam Indulgentiam quotidianam perpetuam semel in anno lucranda peregrinantibus ad eam concessit. Nuper autem a nonnullis dubium excitatum est, utrum Incolae oppidi in quo sita est dicta Ecclesia consequi revera valeant praefatam Indulgentiam; Quae formati in Sac. Congregatione Indulgentiarum et Sac. Reliquiis praeposita dubiis, Primo « *An Indulgentiam, quae concedi solet pro Peregrinantibus ad aliquam insignem Ecclesiam consequi valeant Incolae oppidi ejusdem Ecclesiae?* » et quatenus negative »

Secundo « *An alia hujusmodi Indulgentia pro Incolis sit concedenda* »? Sac. Eadem Congregatio die 2 Julii censuit rescribendum esse: Ad Primum « Negative » Ad Secundum « Concedendas esse Indulgentias juxta qualitatem Ecclesiae. » De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 3 ejusdem Mensis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CCXVI.

Ut Indulgentiarum Thesaurus, quantum fieri potest ab hominum commentis, et falsitate custodiatur immunis Sac. Congregatio Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praeposita summo opere semper elaboravit; Quapropter Eadem Sac. Congregatio cui delatum est quoddam folium primum Hispanica lingua sub hoc titulo impressum « *Alabado sea el Sanctissimo Sacramento de el Altar y la pura y limpia Concepcion de la Virgen Maria Sanctissima Nuestra Senora* » Sumario de las gracias e Indulgentias, Jubileos, y Estaciones concedidas a los Senores Reyes Catholicos en su Real Capilla de Nuestra Senora de la Concepcion en el Convento de Nuestro Padre S. Francisco, Casa Grande de la Ciudad de Granada y a las Medallas, que en dicha Capilla se reparten, concedidas por el Senor Leon X confirmadas per muchos Summos Pontifices, y oy nuevemente confirmada per Nuestro Sanctissimo Padre Benedicto XIII dia 30 de Abriel de este ano de 1727. » Et deinde in latinum sermonem hisce verbis « *Lodato sia il Santissimo Sacramento dell' Altare e la pura ed illibata Concezione della Santissima Vergine Maria Nostra Signora* » Sommario delle Grazie, Indulgenze, Giubilei e Stazioni concesute alli Rè Cattolici nella loro Reale Cappella della Nostra Signora della Concezione, e nel Convento del Padre S. Francesco Casa Grande della Città di Granata, e alle Medaglie che nella detta Cappella si riportano,

concedute da Leone X e confermate da molti Sommi Pontefici, ed oggi nuovamente dal N. S. Padre Benedetto XIII il giorno 30 Aprile di quell' anno 1727 » translatum, praevio diligenti ac maturo examine die 2 Julii 1754 praefatum folium quocumque idioma et quocumque loco impressum veluti continentes falsas et apocryphas Indulgentias prohibuit et damnavit, sicuti illud praesenti Decreto damnat, et prohibet.

Praeterea eadem prohibitionis nota inclusit aliud folium, quod inscribitur « *Sommario di tutte le indulgenze concesse dalla Fel. Mem. di N. S. Paolo III alla Ven. Compagnia del Santissimo Sacramento del Corpo di Cristo come per li Brevi e Bolle Apostoliche appare, che riservate sono in Roma nella detta Compagnia, che è nella Chiesa della Minerva. In Jesi per Gio. Battista de Giulì Stampatore publico Vescovile 1741* » utpote exhibens Indulgentias vel apocryphas, vel dubias, vel revocatas, et idcirco recensita folia proscibenda censuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quinimo, ut omnis in posterum erroris ac deceptionis occasio tollatur, districte prohibuit, ne aliae Indulgentiae voce, ac scripto evulgentur, pro Sodalitiis Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, ac pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui nonnullis piis operibus in honorem, et cultum ejusdem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti vacaverint, praeter eas, quae in Summario a Sac. Congregatione approbato die 13 Septembris anno 1749 recensentur.

Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam Sac. Congregationis approbavit et in omnibus servari jussit. Datum die 3 Julii 1754.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba. Prot. Apostolicus Secret.

CCXVII.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV, praevia revocatione alterius Altaris privilegiati, quatenus adsit, in perpetuum vel ad tempus nondum elapsam Apostolico privilegio

decorati, benigne concessit, atque indulisit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque Sacerdote Saeculari, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis ad unum Altare per Ordinarios Locorum in qualibet ex Ecclesiis Presbyterorum Saecularium Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, tam erectis, quam in posterum erigendis in quacumque mundi parte existentibus situm, semel tantum respective designandum, excepta tamen Ecclesia dictorum Presbyterorum de Urbe, pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc concessionem suffragari debere absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 7 Septembris 1754.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba. Prot. Apostolicus Secret.

CCXVIII.

ORDINIS MINOR. RECOLLECTORUM S. FRANCISCI

An sub nomine Ecclesiarum veniant etiam Cappellae et Oratoria PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci Missionum Nationis Germano-Belgicae, ita ut illa gaudere valeant Indulgentiis a Sanctissimo Domino Nostro Ecclesiis dictarum Missionum concessis in casu etc.?

Sac. Congregatio sub die 18 Martii 1755 respondit « Affirmative dummodo peragantur Sacrae Functiones ».

CCXIX.

Ad humillimas preces Fr. Petri Pauli Renzi Prioris Generalis Ordinis S. Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV praevia revocatione alterius Altaris privilegiati, quatenus adsit, in perpe-

tuum, vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decorati (firmis tamen remanentibus privilegiis, ut asseritur, antea in perpetuum concessis in Ecclesiis FFr. Congregationis ejusmodi B. Petri de Pisis scilicet S. Onuphrii de Urbe, B. M. Virginis Gratiarum nuncupat. Civitatis Neapolitanae, ac S. Sebastiani Civitatis Venetiarum) benigne concessit, atque indulsit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque Sacerdote Saeculari, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis, ad unum Altare per Ordinarios locorum in qualibet ex Ecclesiis Fratrum dictae Congregationis tam erectis, quam in posterum erigendis, in quacumque Mundi parte existentibus situm, semel tantum respective designandum pro Anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverit celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum Suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro decreto. Voluitque Sanctitas Sua hanc concessionem suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 10 Maii anno 1755.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. E. Vicecomes Sac. Cong. Indulgen. Secret.

CCXX.

Ad humillimas preces D. Benedicti de Geisman Abbatis Werdinensis et Halmstadiensis Praesidis Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existen. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV volens omnes et singulas Ecclesias Monasteriorum Monachorum Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existentium, in quibus aliud Altare, vel in perpetuum, vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decoratum forsan reperitur, quod per praesens Decretum revocavit, et in qualibet ex dictis Ecclesiis Altare sub invocatione S. Benedicti erectum sive erigendum hoc speciali dono

illustrare, ut quodcumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis Sacrosanctum Missae Sacrificium pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum S. Benedicti Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum Suffragii Indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro Decreto. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 19 Julii anno 1755.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.

A. E. Vicecomes Secret.

CCXXI.

Beatissimo Padre

Il Generale dell' Ordine di S. Giovanni di Dio della Congregazione di Spagna Oratore Umilissimo della S. V. col dovuto ossequio gli espone, che frequentando molti Fedeli gli Ospedali del suo Ordine, i quali si esercitano in varii atti di cristiana pietà verso gl' Infermi; supplica umilmente la S. V. che voglia degnarsi o dichiarare quali Indulgenze siano già state concesse per le infrascritte opere pie, ovvero concederle ex integro a quei, che l'esercitano nei detti Spedali.

Ai Confessori i quali ascoltano le Confessioni degl' Infermi ed assistono spiritualmente ai medesimi Infermi.

Agl' Infermi qualunque volta si confesseranno e comunicheranno.

A quei che conducono gl' Infermi agli Ospedali.

A quei che si porteranno ne' detti Ospedali a servire gl' Infermi ed eserciteranno opere di cristiana carità.

A quelli che insegneranno agl' Infermi la Dottrina Cristiana.

E finalmente a quelli che entrando nelle Infermerie, e altre officine di esse diranno « Laudetur Jesus Christus » e risponderanno vicendevolmente « Amen » Che etc.